

pore a Tridentino permissio. Neque illum præficere potest muneri confessarii ordinarii monialium, licet in monasteriis sue diœcesis magnus sit earum numerus, et pauci reperiantur sacerdotes.

RESOLUTIONES CIRCA RESIDENTIAM EPISCOPORUM.

Apud eundem Giraldum loco cit. inveniuntur decisiones sequentes :

I. Episcopus, sine justis et rationabilibus causis absens per spatium sex mensium, punitur ipso jure per amissionem quartæ partis fructuum, applicanda vel in commodum fabricæ Ecclesiæ vel in pauperum sublevamen. Si in contumacia persistat, alia quartâ parte privandus est. Si pertinaciter in contumacia perseveret, si sit episcopus comprovincialis, metropolitani munus erit, si vero metropolitanus, debeat suffraganeus antiquior residens sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, eo ipso incurrenda, infra tres menses, vel per litteram vel per nuntium certiore facere Romanum Pontificem qui, spectata majori vel minori contumacia, contra episcopos non residentes animadvertet, providendo, si ipsi videbitur, Ecclesias de utilioribus pastoribus.

II. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiæ ipsi concessum, ex æqua causa et licet grex non patiatur damnum, cum trimestri subsequentis anni, et ita a diœcesi abesse per continuum semestrem, nec, visitans sacra limina in fine triennii aut quinquennii, potest in principio alterius triennii aut quinquennii rursus visitare, et per consequens abesse a sua Ecclesia, per octo menses continuos.

III. Si episcopus v. g. per decem annos usus non fuerit vacatione singulis annis, non potest, deficiente causa a concilio prærequisita, a diœcesi abesse.

IV. Episcopi habentes coadjutores non ideoque a residentia excusantur.

V. Potest quidem episcopus morari in qualibet diœcesis parte, dummodo tempore a concilio Tridentino præscripto, sess. XXIII, cap. 1, scilicet tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et corporis Christi diebus, pergat ad cathedralem, nisi tamen munia episcopalia in sua diœcesi eos alio vocent. Si tamen, hoc deficiente, in cathedrali Ecclesia dictis temporibus non resideant, non incurrunt pœnas episcopis non residentibus inflictas.

VI. Episcopus absens, etiam ex causa a Concilio approbata, minime gaudet beneficio alternativæ.

VII. Episcopus, tempore pestis, residere tenetur in propria diœcesi, potest tamen adire tutiorem ipsius diœcesis locum, non autem removere tribunal et vicariam a civitate; nec ei suffragatur prætensa consuetudo degendi extra diœcesim, et cogeadus est a metropolitano ad residentiam.

Circa residentiam eorundem episcoporum legatur constitutio Benedicti XIV, *Ad universa*, 3 sept. 1746.

ADNOTATIO XLVI I.

Lib. III. Decretalium. Tit. V, De præbendis et gñitatibus, § II, n. 41, pag. 471.

BENEFICIUM MONOCULARE QUID?

Juxta auctorem nostrum, beneficium monoculum vel monoculare vocatur quando prælatus illud solummodo habet ad conferendum. Alia definitio et quidem verior datur a Garcia, *Tractatus de beneficiis*, part. V, cap. 1, n. 318; qui tradit beneficium dici monoculare vel quando in una Ecclesia unum dumtaxat adest beneficium, vel si alicui competat collatio unum tantum beneficii.

ADNOTATIO XLIX.

Lib. III. Tit. V, § III, n. 61, pag. 475.

AN DARI POSSIT CANONIA SINE PRÆBENDA?

Juribus ab auctore nostro allatis, quæ aperte convincunt dari posse canoniam sine præbenda, suffragatur decretum executoriale a cardinali Legato, anno 1802, pro erectione Ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Galliis datum, virtute cujus erigitur in unaquaque Ecclesia metropolitana vel cathedrali capitulum cum certo numero canonicatum a primo cujusque sedis episcopo definiendo, quamvis in articulo undecimo conventionis initæ inter Pontificem et primum consulem republicæ gallicanæ, die 15 julii 1801, gubernium gallicanum onus dotandi capitula non assumpserit, et aliunde ex parte fidelium tunc temporis nulla spes præbendas obtinendi affulserit. Idem confirmatur litteris apostolicis a Pio IX, pro restauranda hierarchia episcopali, in Anglia, et pro erectione capitulorum cathedralium, anno 1850 datis, necnon decreto S. Congregationis de Propaganda fide, 21 april. 1852, ubi legitur canonicas præbendas in Anglia deesse, ibi: « Cum canonicas præbendæ desint, et canonici curæ animarum, juventutis institutioni, aliisque officiis pro religionis bono, attento etiam medioeri sacerdotum numero, per diœcesim vacare debeant, existimarunt EE. PP. annuendum ut iidem ab onere residentie penes cathedralem et sacra officia persolvendi eximantur, ita tamen ut in proxima synodo provinciali episcopi curent de nonnullis diebus designandis, in quibus canonici chororum adire atque officia peragere teneantur, utque etiam apud episcopum congregentur, præsertim pro negotiis circa quæ, ex sacris canonibus, capituli sententia est exquirenda. (*Acta et decreta I conc. Westmonasteriensis*, anno 1852 habiti, in appendice, n. III.) »

ADNOTATIO L

Lib. III, Tit. V, § IV, n. 102, p. 482.

DE NECESSITATE CONSENSUS EXPRESSI EPISCOPI PRO BENEFICIORUM ERECTIONE, CUM ASSIGNATIONE DOTIS.

Huc spectant decreta, diebus 9 et 10 aprilis 1802, a cardinali legato pro Galliis data. *La*

priore legitur: « Quoniam, ut in sæpe memorata conventionione Parisiis peracta, atque a Sanctitate Sua per apostolicas supra citatas litteras approbata, constitutum est, nova a futuris archiepiscopis et episcopis parœciarum circumscriptio in singulorum diœcesibus faciendâ est, quam minime dubitamus talem futuram quæ fidelium in unaquaque diœcesi existentium tum copiam, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem assequendam adjumenta possint deesse, ut impedimenta omnia quæ expeditam ac plenam ipsius conventionis, hac in parte, executionem a singulis antistitibus peragendam retardare possent penitus removeantur, necessarium propterea ducimus ut, eo modo quo de diœcesibus factum est, hujusmodi novæ parœciarum circumscriptio viam sternamus. Hinc ergo est quod nos, de præfata apostolica auctoritate nobis ut supra communicata, omnes et singulas parochiales ecclesias, quæ in territoriis diœcesium novæ circumscriptio continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura et jurisdictione quacumque, nunc pro tunc, suppressas perpetuo fore declaramus, ita ut, cum singulis ecclesiis in unaquaque diœcesi in parochiales erectis singuli parochi seu rectores novorum antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum parochorum jurisdictio in territorio novis parœciis assignato cessare prorsus debeat, neque ullus, præter novos parochos, seu rectores a novis antistitibus institutos, illarum ecclesiarum, aut in eo territorio, parochus, rector, aut alio quolibet titulo et appellatione gaudens, censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

» Singulis vero parochialibus ecclesiis sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione eos redditus qui, ut in supradicta conventionione statutum est, assignandi erunt, iidem archiepiscopi et episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

» Hæc omnia cum singuli antistites perfecerint quod, quam citissime ut præstetur ab ipsis vehementer cupimus et hortamur, eorum quilibet nobis reddendum curet exemplar decreti, authentica forma exaratum, erectionis omnium ecclesiarum parochialium totius diœcesis suæ, adjuncto singularum titulo, invocatione, extensione, terminatione, limitibus, congrua, adnotatisque nominibus civitatum, pagorum et locorum in quibus singulas parœcias erexerint ut exemplar ipsum nostro pariter huic decreto inserere possimus ad supplementam enumerationem parœciarum et locorum, ex quibus unaquæque diœcesis extare debeat, quæ juxta receptam consuetudinem a nobis peragi debuisse.

In posteriori autem: « Deinde parochialibus ecclesiis omnibus universi gallicani territorii, a

nobis in supra memorato generali decreto nostro litterarum apostolicarum executoriali apostolica auctoritate suppressis, de eadem auctoritate primo futuro episcopo N., tenore præsentis decreti, iungimus et mandamus ut, secundum ea quæ in supradictæ conventionis approbatione a Sanctissimo Domino Nostro sancita sunt apostolicis litteris *Ecclesia Christi*, tot in N. diœcesi novo circuito, finibus, ut supra a nobis circumscripta, ecclesias seligat, easque in parochiales quam citissime erigat quot necessariæ ipsi videbuntur, diligentissima ratione habita tum copie tum necessitatis fidelium curæ suæ subjectorum, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia atque ad æternam salutem assequendam adjumenta ullo pacto possint deesse. Eos vero redditus qui, ut in supra dicta conventionione statutum est, assignandi erunt singulis parochialibus sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione, idem episcopus prædictis parochialibus ecclesiis earumque rectoribus pro tempore futuris perpetuo attribuat et constituat. »

Hæc attributio canonica et constitutio dotis habet effectum conferendi ipsi doti characterem et excellentiam redditus ecclesiastici. Cf. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. XVI in fine.

ADNOTATIO LII.

Lib. III, Tit. V, § V, n. 133, pag. 488.

DE CONSANGUINEIS AD BENEFICIA NON ADMITTENDIS.

« Decretalis 25, *Dilecto filio*, hoc titulo, permittens episcopo conferre suis consanguineis beneficium vacans, etiam ex causa resignationis, correctæ est a S. Pio V, constitut. *Quanta*, 1 april. 1568, in cujus § *Præcipimus*, prohibetur episcopis ne beneficia in eorum manibus resignata, suis aut dimittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus conferant, alioquin irrita sit collatio, ibi: « Præcipimus atque interdiciamus ne ipsi episcopi aut alii collatores, de beneficiis et officiis resignandis prædictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere. Quod si secus, ac etiam quidquid præter vel contra formam prædictam fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires et effectum decernimus non habere. »

« Et hæc prohibitio Piana habet locum etiam, quando agitur de ecclesiis parochialibus, seu beneficiis curam animarum habentibus, quæ per concursum magis idoneis conferri debent. Hinc præfati non sunt admittendi ad concursum; et, si fuerint admissi, quamvis reperti fuerint magis idonei, beneficium seu ecclesia nemini ex ipsis conferri potest, ut patet ex responso S. Congregationis Concilii per extensum relato a Benedicto PP. XIV. *De Syn. diœces.* lib. XIII, cap. XXIV, n. 4.

» Oppositum tamen dicendum, si beneficium aut ecclesia non vacaverit per resignationem, sed per obitum; cum enim bulla Piana loquatur in casu vacationis per resignationem, ad illum vacationis per obitum extendi non debet, præcipue cum in hoc casu cesset illa ratio suspectarum pactionum et fraudum quæ in resignationibus facilius intervenire possunt. Atque ita, occasione causæ *Patavinæ*, statuit Sixtus V. cujus decretum, die 15 junii 1589, S. Concilii Congregatio commendavit, et in posterum sic in casibus occurrentibus respondendum decrevit, ut videri potest apud eundem Benedictum, *ibid.* n. 5 et 6; qui pariter animadvertit, n. 9 et 10, Pianam constitutionem complecti quidem ac prohibere etiam beneficiorum permutationes, quæ mala fide ac fraudulenter coram ordinariis fiunt; eas tamen admittit quæ bona fide, ac seclusa omni fraude, uno verbo, quæ a canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur, quæ nimirum respiciunt utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ; aut in quibus permutantium utilitas quodammodo vergit in utilitatem Ecclesiæ. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 371.)

Cf. auctorem nostrum ubi *De Renuntiatione*, vol. I. pag. 415.

ADNOTATIO LII.

Lib. III, Tit. V, § V, n. 149, pag. 491.

DE CONCURSU PRO COLLATIONE ECCLESiarUM PAROCHIALIUM HABENDO.

Huc spectat pro temporibus nostris documentum maximi momenti, statutum scilicet Illustriss. et Reverendiss. Episcopi Leodiensis in Belgio, 21 feb. 1834 publicatum, quod sequitur:

« Theodorus-Alexius-Josephus De Montpellier, miseracione divina et Sanctæ Sedis apostolicæ gratia, episcopus Leodiensis.

» Venerabili clero salutem et benedictionem in Domino.

» Reverendi ac dilectissimi fratres; jam a suscepti a nobis, meritis licet imparibus, episcopatus primordiis, manifestata nobis fuerunt vota plurimorum ex clero; desiderabant nempe magnopere immutari viam, qua recenter conferri cœperant parochiales ecclesie, vi statutorum in synodo diœcesana anni 1831 promulgatorum. Continuo, dum, confirmationis sacramentum administraturi, integram perlostraremus diœcesim, magis magisque, quænam in hoc negotio communia essent sensa, prospectum habuimus, Nosmetipsi non potuimus non videre quam gravia, hisce temporum adjunctis, areta concursuum lex secum ferret incommoda. Quapropter in frequenti ecclesiasticorum cœtu, secessus spiritualis tempore, indicare festinabamus hanc collationis methodum absque mora immutatum iri, et hanc nostram esse maturam sententiam. Quæ nuntium hoc exceperunt ex omni parte signa grati et applaudentis animi omne, si quod substi-

fisset, circa cleri vota dubium procul abjiciendum demonstraverunt.

» Nec vos latet, fratres dilectissimi, nos eodem quoque momento addidisse quæ in posterum facienda essent, et quæ sequenda via aut methodus, tunc demum quid nuntiandum et stabilendum fore, dum, collatis studiis et consiliis, summum toti negotio lumen afflueret. In hunc vero finem quid magis in promptu et in votis esse potuit quam ad illum accedere cui in Ecclesiæ gubernio ipsum Spiritus Sancti lumen adstat indesinenter?

» Rogavimus igitur excellentissimum Sedis apostolicæ nuntium ut rem totam coram Summo Pontifice dignaretur exponere, ac gravia explicare motiva, ob quæ consultum et necessarium videretur rerum statum quoad parochiarum collationes immutari; simul exoptantes ut Sua Sanctitas nobis dignaretur quam primum indicare supremum suum beneplacitum.

« Significavit autem nobis, 13^o hujus mensis, prælaudatus Sedis Apostolicæ nuntius « Sanctissimum Dominum Nostrum Pium, divina providentia » Papam IX, attentis peculiaribus circumstantiis » rescribendum mandasse: circa ecclesias quæ successuales nuncupantur, non mutandum esse quod » olim obtinebat, ita ut eorum rectores libere ab » ordinario eligi possint, et maneant ad nutum » amovibiles. Quoad parochiales ecclesias, titulo » stabili conferri solitas (primarias dictas), voluit ac » decrevit Sanctissimus Dominus eas imposterum » ad tramites Tridentinæ synodi gubernandas tribui » omnino debere. Cæterum voluit, summa bene- » volentia, Pater optimus ac amantissimus paro- » chialium ecclesiarum provisiones, cum omnibus » inde secutis, quoties opus fuerit, jam inde a » conventionem anno 1801 inita, sanatas censi et » sanare. »

« Responsum hoc novum insignis erga nos Sanctissimi Domini bonitatis pignus ac paternæ sollicitudinis pro grege nobis commisso tesseram, quanto cum venerationis, gratitudinis ac submissionis sensu acceperimus non est quod vobis edicamus.

» Nostri jam muneris est quod promisimus exsequi ac regulas describere sufficinas in locum cap. II, tit. XII statutorum.

» 1^o Parochias primæ vel secundæ classis vulgo dictas, jam inamovibili et stabili titulo conferri solitas, via concursus juxta Concilii Tridentini præscriptum et mentem conferemus, promulgato concursus edicto, ad valvas ecclesiæ cathedralis affigendo.

» Supervacaneum ducimus annotare parochiis his nequaquam indissolubiler annexum esse munus Decani; poterit siquidem et rector ecclesiæ successuales decanus constitui, ubicumque bonum diœceseos regimen id suadere videbitur.

» 2^o Parochias successuales, auditis consiliariis nostris, conferemus, postquam nominatus a nobis satisfecerit speciali ad hoc instituto examini coram examinatore synodali vel prosynodalibus.

Conferentis eas titulo quidem revocabili, ut tamen ut non nisi, ob probata nobis rationum momenta, ob bonum animarum regimen, et ex paterno erga clerum affectu, hoc revocationis jure uti unquam velimus.

» In conferendis porro his succursalibus parochiis, non minus ac in cæteris, adhibere conabimur omnem diligentiam et coram Domino elaborare ut dignioribus semper gubernandæ tradantur. Et quas in eo etiam negotio secuturi simus regulas perlibenter vobis manifestamus.

» Tradidit eas ipsum Tridentinum concilium, dum edixit, præter scientiam et ætatem, rationem habendam esse morum, doctrinæ, prudentiæ, et aliarum rerum ad ecclesiam gubernandam opportunarum, sess. XXIV, cap. 18, *de Reform.*; quæ probe intelligens Benedictus XIV, pronuntiat « suo muneri defecturos qui doctrinæ tantum judices essent, nec inquirerent quinam præ aliis probitate morum, laboribus, præstito antea ecclesiæ servitio, cæterisque dotibus ad officium parochi obeundum necessariis, essent idonei et commendabiles. » *Litteræ encycl.* 14 dec. 1742; *De syn. diœc.* lib. IV, cap. VIII.

« Perpendemus ergo serio et cum consiliariis nostris expendemus quid parochiæ status et necessitas postulent, quænam in ea jam adsint, quænam desint ad bonum regimen subsidia; quænam futuri parochi dotes ingenii, pietatis, temperantiæ, prudentiæ, modestiæ, mansuetudinis; si didicerit a Domino esse mitis et humilis corde, non superbum, non iracundum, non turpis lucri cupidum, non litigiosum, sed hospitalem, benignum, modestum, inquit apostolus; quinam labores in sacro ministerio, in scholis, in collegiis, in conferentiis ecclesiasticis, in bonis operibus; quænam præstita Ecclesiæ servitia, in arduis forte negotiis, in commodi temporalis sacrificiis, in insignis obedientiæ testimoniis.

» Et coram Domino testamur nos aliud nunquam intenturos quam quod justitiam et æquitatem omnem erga dilectissimum clerum speret, et quod animarum salus ac religio postulet.

» Datum Leodii, sub signo sigilloque nostris et secretarii nostri chirographo, hac die 21 februarii anni MDCCCLIV. — THEODORUS, episc. Leodien. De mandato Illustriss. et Reverendiss. episcopi, C. G. BOGAERTS, canonicus a secretis. »

Rescriptum ad episcopum Leodiensem transmissum confirmare videtur sententiam a D. Bouix in *Tract. de parochia* insertam, beneficia curata ad nutum amovibilia non esse necessario conferenda per viam concursus.

Sane intelligendum est responsum, cujus tenor nec apud Garciam invenitur. quod Gregorius XIII fecerit, audita relatione Congregationis, scilicet constitutionem B. Pii V non habere locum nisi in his diœcesibus in quibus coacta fuerit synodus diœcesana, et juxta formam cap. 18 sess. XXIV fuerint utati examinatores. Nam Sacra Congregatio res-

pondit, si eo anno quo concursus instituitur non sit celebrata synodus diœcesana, valere concilium coram examinatore in ultima synodo diœcesana deputatis, dummodo saltem sex supersint, 2 aug. 1607, 19 julii 1638, apud Zamboni, *Collect. declarat. S. Congr. Concilii, 1^o Concursus, § VII. nn. 1 et 7.* « Concilium Tridentinum, animadvertit Van-Espen, *Jus ecclesiast. univ.* part. I, sect. III, tit. V, cap. III, n. 5, eadem hac sessione qua promulgavit decretum de forma concursus, etiam decreverat cap. 2 ut synodi diœcesana quotannis celebrarentur. Hac ergo decreti executione supposita, et ei conformi annua celebratione synodi diœcesana, optima ratione decrevit Concilium ut quotannis in synodo examinatores ad examen concursus deputarentur. At supponere Concilium voluisse, ob intermissionem synodorum, etiam concursum esse necessario omittendum, eo quod examinatores in synodo propositi et probati non haberentur, a ratione alienum et nimis litterale est. » Revera cum Sanctissimus Dominus Noster Pius IX responderet, ut supra, episcopo Leodiensi in cujus diœcesi synodi multoties omisissæ fuerant ita ut plane defecissent examinatores synodales dicti, nihilominus voluit idem Pontifex collationes factas, a tempore etiam concordati anni 1801, sanare et sanatas declarare. Aliunde in elenco consuetudinum abrogatarum et reprobatarum, illud legitur: « Item consuetudo etiam inmemorabilis » contra disposita a Concilio Tridentino et S. Pio V » in collatione beneficiorum, ex constitutione Innocentii XII Ecclesiæ, 22 sept. 1695. » Cf. *Adnot.* XXVII. vol. I, pag. 602.

Quid autem in hoc casu faciendum sit exponit Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. IV, cap. VII, n. 9 et 10: « Ut, elapso anno et non existentibus sex examinatore in synodo electis, institui valeat validum experimentum concurrentium, necesse est ut episcopus vel novam synodum cogat, vel Pontificem petat a S. Congregatione Concilii novos examinatores extra synodum deputandi. » nec S. Congregatio facultatem, de qua loquimur, renuit unquam petentibus concedere; quoniam cum probe noverit non facile esse episcopis, singulis prorsus annis, suas synodos cogere, ne idcirco legitimis careant examinatore, statim ac episcopus eidem exponit sex ex electis in postrema synodo amplius non exstare, potestatem ei facit novos eligendi a majore parte capituli approbandos; quorum tamen officium duraturum decernit tantum ad annum, quo elapso, iterum ad preces episcopi illos in munere confirmat, quod et deinceps semper in annum iisdem prorogat. »

ADNOTATIO III.

Lib. III, Tit. V, § VI, n. 174, pag. 495.

QUANDO VALEAT COLLATIO BENEFICII A PONTIFICE FACTA?

« Ex constitutione Julii III Sanctissimus, quam refert Azor. part. II, lib. VII, cap. 1, quæst. 2,

per solam supplicationem signatam, subscriptionem nempe Papæ cum clausula *Placet vel Fiat ut petitur*, litteris non expeditis, nullum acquiritur jus. Declarat enim Pontifex quod impetrantes beneficia a Sede apostolica titulo collationis vel confirmationis, aut unionis, aut alio, si ante litteras expeditas dictorum beneficiorum possessionem apprehenderint per se vel per alium, aut ratam habuerint per alium suo ipsorum nomine apprehensam, sint ipso facto privati omni jure in dictis beneficiis quæsito, et hæc remaneant Pontifici reservata, et una cum fructibus etiam in conscientia foro dimittere et restituere teneantur, ita ut non suffragetur eis regula *De Triennali*, et fiant inhabiles ad illa eadem per novam provisionem obtinenda. Notat tamen Thesaurus, *De pœnis eccl.* cap. iv, vº *Gratia*, hanc constitutionem non loqui de episcopatibus, sed de beneficiis inferioribus, et quod istæ pœnæ non incurrantur, quoties non proceditur cum mala fide, sed ex conscientia bona; ideo tunc suffragabitur regula *De Triennali*... fructus tamen ante litterarum expeditionem percepti restituendi erunt, nisi præscripti sint. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 384.)

Ne concludas ex verbis prælaudati Thesauri licere episcopis possessionem sedis apprehendere ante litterarum expeditionem, cum e contrario ipsis præceptum sit, sub pœna nullitatis omnium actorum, ante omnem possessionem capiendam, litteras apostolicas capitulo exhibere et sic de legitima sua institutione probationem afferre. Cf. Adnotationem XXXII, vol. I, pag. 607, et regulam cancellariæ XXXI.

ADNOTATIO LIV.

Lib. III. Tit. V, § XIII, n. 406, pag. 544.

AN BENEFICIUM MONOCULUM SUBJACEAT RESERVATIONI?

« Regula nona, docet Rigantius, locum habet in beneficiis monocularibus, nec ordinarii conqueri possunt se privari hoc unico lumine, quia id non contingit omni tempore, sed dumtaxat in mensibus apostolicis; Lotter. *De re benefic.* lib. II, quæst. XXXIX, n. 3 et seqq. Gonzalez ad regul. VIII, gloss. 9, § IV, n. 13; Leuren. *For. benefic.* Tom. II, quæst. DLVII, n. 3; Garcias *De beneficiis*, part. V, cap. 1, n. 5, ubi refert sic judicatum; Nicolarts ad *Concordata Germaniæ* dub. II, § 3 et 4; Barbosa, *De episcop.* part. III, allegat. LVII, n. 180, et respondendo contrariis; Castropal. *Oper. moral.* Tom. II, tract. XIII, disput. II, punct. 22 n. 8, ubi ait quod fere omnia beneficia curata sunt monocularia, et proinde, si hæc a reservatione essent immunia, multum detraheretur nostræ regulæ. (*Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes cancellariæ apostolicæ*; in prim. partem regulæ IX, § II, n. 135.) »

Attamen idem auctor, disserens de regula quarta § I, n. 41 et 42, sic loquitur; « Redeundo ad re-

gulæ explanationem, vindicat ea sibi quoque locum in cathedralibus et collegiatis, in quibus adest una tantum dignitas; hæc enim dignitas, quæ est major vel principalis, quia tantis rebus respectu aliorum beneficiorum de cathedrali vel collegiata, et sufficit quod in eis nemo adsit qui ratione suæ præbendæ præcedat, et superiorem locum obtineat, aut sedeat supra possidentem illam unicam dignitatem. Leurenus et cæteri ibidem citati... Quod tamen intelligendum, quando in ecclesia adsunt alia beneficia. Nam si unica tantum existat dignitas sine aliis beneficiis, ita ut ordinarii facultas in conferendo restringatur, et obligetur dictæ unicæ dignitati, hæc tanquam monocularis non comprehenditur sub regula; ut inter utrumque casum distinguendo explicat Corradus in *Prax. benefic.* lib. II, cap. XIII, n. 24 et 45, ubi reddit rationem; Clericat. *De benefic. discord.* 78, n. 4; Rota, decis. CCXIX, n. 3, coram Durano. »

ADNOTATIO LV.

Lib. III. Tit. V, § XV, n. 446, pag. 555

AN ORDINARIUS, MENSE ELAPSO, CONFERRE POSSIT BENEFICIA APUD SEDEM VACANTIA.

Ex cap. *Statutum*, hoc titulo, in 6. licet beneficia vacantia apud Sedem sint reservata, nihilominus si Pontifex de illis, intra mensem computandum a die quo vacaverint, non disposuerit, possunt mense elapso ad ordinarii collatoribus conferri. In hoc casu proprie non fit devolutio a Pontifice ad ordinarium, quæ a superiore ad inferiorem fieri nequit, sed jus ordinarii tantummodo relaxatur, seu impedimentum injectum tollitur; Van Espen, *Jus eccles. univ.* part. II, Tit. XXIII, cap. III, n. 8.

« Quæstio tamen est, an doctores, inquit Rigantius, an dispositio recessa cap. *Statutum* revocata fuerit per extrav. *Piæ sollicitudinis*; *De præbendis*? Et non esse revocatam firmiter Aeneas de Falconibus, Massobr. Lotter. et alii, et moventur, primo quia plures eximii nominis doctores de hoc textu utuntur ad probandam conclusionem quam ipsi firmiter, quod post mensem ordinarii possunt conferre; secundo quia Bonifacius VIII voluit inseri textum illum in libro Sexto decretalium, et, si esset abrogatus, inseri non mandasset, ut dicit idem Bonifacius in Proœmio; tertio quia dicta extravagans est ejusdem Bonifacii, publicata anno primo sui pontificatus, et Sextus fuit longe postea compilatus, nempe anno IV. Ideo cum in hoc libro Sexto eadem extravagans inserta non reperitur, dicendum quod Bonifacius noluit eam observari, quodque potius textus cap. *Statutum*, quem in eodem libro inseruit, suum deberet obtinere vigorem.

Addit etiam Lotter. *De re benefic.* lib. II, quæst. XXV, n. 33, rationem nempe quod extrav. *Piæ sollicitudinis* non dicit id ad quod allegatur; nam nil aliud habet quam quod Bonifacius, quia satagebat ut beneficia vacantia apud Sedem per-

sonis idoneis conferrentur, reservavit nedum quæ ita in futurum vacarent, verum etiam quæ eatenus intra mensem computandum ex data illarum litterarum vacare contingeret. Non posuit ergo legem futuris vacationibus ultra mensem duraturis, sed præteritis intra mensem jam elapsam, et retro computandum ex die datæ, ibi: « a data præsentium hactenus in curia vacaverint; » quæ verba, prosequitur Lotterus, sunt adeo clara ut qui circa illa titubet ad grammaticos veniat remittendus, subditque quod Joannes Andreas non aliter illum textum intellexit.

« E contra vero quamplures alii doctores textum in dict. cap. *Statutum* esse abrogatum per extrav. *Piæ sollicitudinis*, et signanter Glossa in dicta extrav. et alii; et est magis communis opinio. Quinimo, ubi etiam dispositio capitis *Statutum* revocata non esset per extrav. *Piæ sollicitudinis*, adhuc revocata dici deberet per alteram extrav. *Ad regimen*, absolute reservantem beneficia vacantia in curia provisioni Summi Pontificis, derogando omnibus contrariis; Monet. et Passerin. et alii. Ac ita semper in praxi constantissime servatum fuit et servatur; nam de beneficiis apud Sedem vacantibus, pluribus etiam elapsis mensibus ab eorum vacationis tempore, Pontifices libere disposuerunt et disponunt absque eo quod ordinarii ausi unquam fuerint, aut audeant in eorum collatione manus apponere. Estque optima ratio, quia indecorum videtur facultatem conferendi, quam Pontifex habet, intra unius limites mensis restringere, quando episcopis et patronis ecclesiasticis data est sex mensium dilatio; et quando regibus et supremis principibus laicis nullum currit tempus ad præsentandum, ubi agitur de eorum jurepatronatu. Et in concordatis gallicanis, licet certum tempus sit præfixum regibus christianissimis ad nominandum ad beneficia consistorialia, attamen praxis inolevit ut semper et quodcumque admittantur nominationes eorum, nulla habita consideratione quod lapsum sit tempus, quia præponderat reflexio, quod gravissimis aliis negotiis distenti, nominare nequiverint. Quæ ratio militare etiam debet pro Summo Pontifice, invigilante pro Ecclesiæ universalis cura et regimine. Qua de re merito ex contrariis doctoribus ipse antesignanus Aeneas de Falconibus ait credere quod suam opinionem curia non reciperet, et Lotter. n. 64 agnoscit et ipse adeo difficile esse reduci ad praxim dispositionem dicti cap. *Statutum* ut ferme ad impossibilitatem dicat accedere. (*Comm. in regul. cancell.* in regul. I, § I, n. 366 et seqq.) »

ADNOTATIO LVI.

Lib. III. Tit. V, § XVII, n. 533, pag. 535.

DE OPERE RIGANTII IN REGULAS CANCELLARIÆ.

Occasionem libenter accipimus commendandi omnibus has paginas evolventibus eximium librum am pluries citatum, cui nempe titulus: *Joannis*

Baptistæ Rigantii Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes cancellariæ apostolicæ; opus posthumum Sanctiss. D. N. Benedicto XIV dictatum, et impressum tum Romæ tum coloniæ Allobrogum, quatuor tomi in-8º in duo volumina redacti.

Rigantius, natus anno 1661 Melphicti in Apulia, venit Romam anno 1675 ut utrique juri navaret operam. Illum, vix annum agentem vigesimum secundum, Bandinus Panciatius, tunc S. Congreg. episcoporum et regularium a secretis, postea S. R. E. cardinalis, scientia et eruditione juris amplissimus, auditorem sibi adseivit. Hoc munere defunctus est per triginta quinque annos, dum prælaudatus Bandinus esset Pro-Datarius sub Pontificibus Alexandro VIII et Innocentio XII, deinde præfectus Sacræ Congregat. Concilii ab anno 1704 usque ad annum 1718. Cum itaque, in expediendis apostolicæ Datarie negotiis et causis audiendis dijudicandisque, conspiceret multa et perquam necessaria deficere in auctoribus, qui super cancellariæ apostolicæ regulis scripserant, ad privatam commoditatem plurima notata digna colligere cepit, quæ post modum in dies auxit. Hinc S. R. E. cardinalis Pro-Datarius sub Clemente XI pluries eundem enixe rogavit ut commentaria quæ in præfatas regulas paraverat in lucem ederet, ad quod et amici, quoad vixit, urgere non destiterunt. At ille, qui nimia præditus erat modestia, negavit se facturum. Opinabatur quippe ea ipsa commentaria accuratori indigere examine, quod, ætate jam ingravescente, perficere non poterat; quanquam disseruisset docte abundeque, quod nemo ante ipsum ita præstiterat.

Equidem priores scriptores, qui super cancellariæ apostolicæ regulis sua ediderunt commentaria Sotus nempe, Gomesius, Mandosius, Gonzalez, Kochier, Molinæus, auctor damnatæ memoriæ, Luetius, Peleus et Quesada, neque regulas elucidarunt omnes, si duos excipias Sotum nempe et Kochier; Quesada namque breves tennesque notulas super eis exaravit; nec quod Rigantius præstitit præstare potuerunt. In plurimis immutatæ sunt regulæ ab illis, super quibus laudati auctores scripserunt, ob non paucas, quæ factæ sunt a Summis Pontificibus, præsertim Alexandro VII, isdem regulis additiones. Emanarunt insuper ab apostolica Sede varia indulta et concordata, quæ non exiguam interpretationis regularum partem sibi vindicant. Hæc igitur omnia si novum desiderabant auctorem, qui cancellariæ apostolicæ regulas, sic a modernis Pontificibus auctas, et indultas, concordatas, privilegiisque obvoluntas, explanaret, hoc sane perfecti Rigantius Opus evulgatum est cura nepotum ipsiusmet auctoris, et in illo apponuntur notæ, alio caractere distinctæ, quæ materiam de qua Rigantius disserterat respiciunt, quas quidem ipse non prætermisisset si amplius vixisset. Vita functus est anno 1735.